... : Theoremata de ente rationis scibili.

THEOREMATA

De Ente Rationis ſcibili
Magni Dei Magnae Matri
Semper Virgini MARIÆ.

A
Studio Philoſophico in Academia Poſnanienſi dicata.

Et Per
GASPARVM IAKLEWIC Philoſophiæ Auditorem
ad diſputandem Anno Domini 1637. die 17 Maij
Præſidente:

Excell: D. M. CHRISTOPHORO
WILKOWSKI Philoſophiae Doctore
eiuſdemque Profeſſore
propoſita.

POSNANIÆ,
IN OFFICINA ALBERTI REGVLI.



Serenissimae et Augustissimae

MARIÆ,

SEMPER VIRGINI, SEMEL MATRI DEI DEORVM MAGNAE GENITRICI, SPONSAE IOSEPH IMMACVLATAE REGINAE COELI, DOMINAE TERRAE, ACADEMIARVM PATRONAE ADVOCATAE SVAE CLEMENTISSIMAE.

GASPAR IAKLEWIC *æternitatem gratulatur.*

MOS inualuit, consuetudo obtinuit, vsus confirmauit, vniuersa humana progenies approbauit, Serenissima Regina Cæli & terræ, vt ji, qui sui intellectus prolem luce donare hominumq; oculis subiicere cogitant, aliquos sibi protectores & Patronos eligant, quorum nomine tecti non solùm susurrionum verba effugiant, verùm etiam suis scriptis authoritatem quandam ac grauitatem comparent, contumeliamque euadant vniuersam. Patronam ego Te, meorumque progressuum Beatissima virgo protectricem ex quo me ab ineunte ætate Filii Tui, Tuæque seruituti dedicaui, elegi. Te semper colui: Tibi ser-

uiui

uiui: Te inuocaui: Te in cælis Tutricem, in terris adiutricem, Dei Deorum Matrem, Summi Tonantis Genitricem, humani generis Auxiliatricem, serpentis infernalis Debellatricem semper habui: Tibi proinde etiam nunc has meas primitias è Philosophiæ rationalis fontibus depromptas do, dico, dedico: Tu mea sis Domina: Tu Mater: Tu Auxilium: Tu Patrona: Tu Aduocata: ego Tuus seruus: Tuus indignus filius: Tuus famulus: Tuus cliens. Monstra itaq; Te esse Matrem fer auxilium: Tuo patrocinio protege. Recordor Beatissima Virgo Tui amoris erga genus humanum, quem Ioannes Sanctissimus expertus est, cum eum filium susceperis, recordaris Tu etiam mei indigni & me famulum Tibi seruientem complectere. Patrona es Academiarum, me filium huius Academiæ adiuua, Deum summũ genuisti (Dii enim gentiũ Dæmonia sunt) me clamantem ad Te suscipe: peccatorem consolare: inopi auxilium fer, ac semper Tuo Sanctissimo sinu me Academiamque Matrem meam foue & tuere.

❧) ✠ (☙

DE ENTE RATIONIS SCIBILI THEOREMATA.

I.

ORDO Scientiarum requirit, vt ante omnes ſcientias rationalis Philoſphiæ tractatio inſtituatur: non ſolùm quod ſit ad omnes alias Scientias neceſſaria ſimpliciter eius cognitio (excepta Grammatica & ſe ipſa) ſed etiam quòd ſit quaſi clauis, & ianua, ad alias omnes artes & Scientias.

II.

QVÆ quoniam tractat de Ente rationis, tanquam de adæquato formali obiecto (materia enim vtentis ſunt operati-

nes

ones intellect, vt dirigibiles) ideo ne suũ obiectũ inquirat, sed illud supponat esse, ante eius tractationẽ, Entis rarionis natura examinanda est.

III,

CVM enim Philosophiæ vniuersæ, sit obiectum adæquatum Ens qua Ens, id est, prout sua latitudine Ens reale & Ens rationis, Ens per se & Ens per accidens, Ens quantum et Ens non quantum et alias diuisiones, comprehendit: igitur Ente hoc in Ens reale et Ens rationis diuiso, de Ente rationis, absoluta Philosophiâ in genere, iure merito explicationem instituimus.

IV.

QVOD est nihil aliud, quam Accidens

dens rationis, inhærens rebus, vt cognitis obiectiuè, ab intellectu noſtro (qui ſolus eſt cauſa eius efficiens propter ſuam imperfectionem) factum.

V.

HOC idem, præter cauſam efficientem, nullam aliam habet veram, etſi ſimilitudinarias optimè poſſit habere, non tamen eſt mera denominatio, nam alias, non ſolus intellectus Entia rationis, ſed etiam aliæ potentiæ efficere valerent, quod quam ſit falſum quiſq; iudicare poteſt.

VI.

ENS rationis, non producitur ab intellectu, vt producitur Verbum mentis, nec etiā eſt ſubiectiuè in intellectu

 vt ſunt

vt sunt scientiæ (hæc enim sunt Entia realia) sed resultat ex rebus cognitis quæ sunt obiectiuè in intellectu.

VII.

HOC autem esse obiectiuè, nihil aliud est, quàm cognosci ab intellectu, in omni enim cognitione, datur quiddam, quod consequitur rem cognitam, hoc est esse cognitum, ex eo tamen non sequitur, semper illum, qui cognoscit, debere facere, Ens rationis.

VIII.

ENS rationis fit, quòd Ens reale habeat ordinem ad intellectum, siue quòd in intellectu nostro per species intellegibiles representetur, sic enim considerato aduenniunt alia prædicata, præter ea quæ,

adue-

aduenіunt Enti reali in se considerato V. G. Petro quod sit indiuiduum, homini quod sit species, quæ accidentia, operationem, quâ intellectus rerum cognoscendarum intra se speciem effingit, cõsequuntur, & ideo vocantur Entia Rationis, tantum enim esse obiectiuum habent in intellectu, rem, quæ est ab extra, cognoscente.

IX.

TALIA Entia Rationis, alia sunt quæ nullum habent fundamentum in re, sed totum esse habent per intellectum, vt sunt omnia monstra facta ab intellectu. Alia quæ habent fundamentum in re, suntquæ triplicia, nam aut sunt negationes aut priuationes, aut relationes. Negationes innituntur formis contrariis

Entitatibus, quæ cum formis negatis nequeunt cohærere. Priuationes innituntur ſubiectis aptis & natis recipere formas priuatas. Relationes innituntur actionibus intellectus, ad quas ſtatim illæ conſequentur, vt vniuerſalitas in homine, quæ relatio quædam eſt, innititur actioni intellectus agentis denudantis ipſam à proprietatibus ſingularibus.

X.

RElationes rationis non habent eſſe ſimpliciter extra operationẽ intellectus. Priuationes vero in propria ratione formali ſunt à parte rei, in ratione autem Entis, non habent eſſe ſimpliciter, niſi beneficio intellectus.

XI.

XI.

ENTIA rationis, sunt cognoscibilia à nobis per species Entium realium, non vero per speciem intelligibilem impressam, quæ sit educta è Phantasmatibus. Etsi, si loquamur de verbo mentis, seu de specie expressa, Ens rationis cognosci per proprium verbum asseramus, nam V. G. conceptus quo cognosco hominem, non est conceptus, quo cognosco, Ens rationis.

XII.

ET quoniam Entia rationis non illa eadem cognitione qua res percipiuntur, attinguntur, sed per reflexionem in suammet cognitionem, ideo ab hac tendentia, non quidem intellectus in obiectum, sed

sed quæ sumitur pro ipso obiecto relato ad intellectum cognoscentem, talia Entia Rationis, secundæ intentiones nominantur.

XIII.

QVOD obiectum relatum, cum sit aliud, ipsa res, quæ ab extra existit, aliud id, quod eiusdem rei intellectæ cognitionem consequitur. Idcirco obiectum primum nomine primæ intentionis, alterum nomine secundæ intentionis gaudet. Quarum vtramque, optimè in formalem, quæ se habet ex parte in tellectus & obiectiuam, quæ se habet ex parte ipsius obiecti, diuides.

XIV.

DE Ente Rationis tali, quot habet fundamentũ in re, & consequitur operatio-

nes

nes intellectus, datur ſcientia ſpecula‑tiua Logica.

XV.

QVÆ etſi dicatur ab aliquibus eſſe ſcientia, de barbarico cæno humanæ mentis oculos attolens, aut ſub qua omnes ſcientiæ lateant, aut ars & ſcientia ſcientiarum, ad omnium methodorum principia viā habens, aut eſſe artē ſeu ſcientiā bene diſſerendi, aut quæ doceat definire diuidere & argumentari, aut verū à falſo diſcernere: quia tamen hæ omnes vel tantum vtilitatem vel dignitatem, vel finem, vel officium, declarant ideo illam optimam eſſe dices. Logica eſt ſcientia ſpeculatiua rationalis, actuum rationis directiua, qui ſunt tres, ſimplicium apprehenſio, compoſitio & diuiſio, & diſcurſus,

XVI.

HÆC Logica diuiditur in naturalem & Artificialem, in docentem et vtentem. Quod si naturalem Logicam, pro notitia habita ex naturali ingenio, et non ab alio sumpseris, erit habitus, non essentialiter sed Accidentaliter, ab artificiali distinctus. Si verò pro promptitudine ad hanc notitiam habendam erit potentia naturalis, bene se habens ad discernendum verum à falso.

XVII.

LOgicæ diuisio vtentem et docentem, est habitus eiusdem, ex distinctis actibus, diuisio: ita tamen vt docens, sit verè scientia, vtens verò ars, vtraque autem habitus speculatiuus, nam etiam si sit ars, est tamen similitudine accedens ad

veram artem, Ars enim extendit se ad opus quod est extra, Logica verò vtens, etsi se extendat ad opus, non tamen ad extra, sed ab intra, ideo in quantum extendit se ad opus, erit ars, in quantum vero ad opus internum, non participabit nomen veræ artis.

XVIII.

FAlsæ omnes sunt illæ Sententiae, quæ Logicæ habitum, aut artem, aut modum sciendi, aut instrumentum (et si hæ ei in quantum est vtens competant) aut intelligentiam, aut sapientiam, aut aliquem habitũ realẽ esse dicunt. Habitus enim Logicæ est sciẽtia rationis, tractans de Ente rationis, quod consequitur operationes intellectus, distincta ab aliis, vna vnitate specifica. propter eandem vnitatem eius obiecti.

XIX.

ENS rationis, ſicut & omne aliud obiectum, vt cadat ſub ſcientiam Logicam, debet prius cadere ſub intellectũ, iam autem quia non poteſt cadere ſub intellectum, niſi ſit immateriale, ideo debet eſſe abſtractum à materia: non quidem hac abſtractione, quæ conſtituit ſcientias reales, ſed illâ quâ abſtrahitur Ens rationis.

XX.

CVM enim abſtractionis illius ſint tres gradus, prim⁹ à materia ſenſibili ſingulari tantùm, qui Philoſophiam naturalem, ſecundus à materia ſenſibili etiam communi non re, ſed ratione, qui Mathematicã, tertius ab omni materia, & re, & ratione ſimul, abſtrahit, qui Metaphy-

ficam, constituit: igitur debet dari abstractio alia, quæ constituat Logicam, & haec erit illa quæ abstrahit non tantū, à materia omni, sed etiam ab existentia reali, repugnat enim Enti rationis existere realiter, sed tantum habere, esse obiectiuum in intellectu, & aptum esse, vt dirigat operationes intellectus.

XXI.

Hoc Ens rationis quod est subiectū Logicæ esse dicimus, non solum habet proprietates in communi, qualis est illa esse aptum ostendendæ veritati, seu esse ostinsiuum veri, sed etiam speciales eorum, quæ sub Ens rationis cadunt. Quæ et si omnes sint Entia rationis, non tamen sunt partes, Entis rationis, sed sunt pasiones

ones sicut enim non repugnat Entis realis passiones quid est obiectum Metaphysicæ, esse Entia realia, ita etiam & Entis rationis proprietates, esse Entia rationis: non enim repugnat aliquid idē, respectu diuerso, esse subiectum et passionem.]

SOLI DEO HONOR ET GLORIA